

ACETAS FERRI LIQUIDUS.

(Vitriolum Liquidum ex Marte.)

Vide Praeparata ex Ferro, pág. 350.

MYRRHA LIQUIDA.

(Oleum Myrrhe per deliquium.)

℞. Ova quot volueris.

Coque ad duritiem, per medio transversim seca, et vitellos exime. Albuminum cavitates Myrrhâ pulverata reple: eorum medietates medietatibus adjuuge, filo leviter connecte, et sacco lineo immissas humido loco appende, ut in subjectum vas Myrrhae dissolutio defluat.

CAPUT XXXVIII.

SALIA.

SULPHAS ALUMINAE ACETATUS.

(Lapis Medicamentosus.)

℞. Sulphatis Ferri ad rubedinem calcinati uncias duas,

Oxidi Plumbi Semivitrificati.
Ferri Aluminosi Magnes. } ana uncias
Sulphatis Aluminae. } quatuor.

In ollam terream immissis superaffunde

Aceti optimi Q. S. ut duos digitos emineat. Vase obturato macera per biduum, aut triduum, materiem identidem agitando. Tunc adde

Nitratis Potassae uncias octo,

Muriatis Ammoniaci uncias duas.

Coque igne lento ad siccitatem, et per horam calcina.

SULPHAS POTASSAE.

(*Tartarus Vitriolatus*, *Arcanum Duplicatum*,
Sal Polychrestum nonnullis.)

℞. Carbonatis Potassae libram unam,
Aquae purae libras sex.

Dissolve in vase vitrio, et instilla paulatim
Acidi Sulphurici Aquosi Q. S. ad perfectam
saturationem. Liquorem, post levem ebulli-
tionem ex balneo arenae, filtra, vapore ad

pelliculam, et repone, ut crystalli concrecant. Liquoris residuum effunde, et vaporationes ad pelliculam repete, quandiu crystallos exhibeat, quas exsiccatas serva.

Nota. Si residuum in retortâ ex distillatione Acidi nitrici igne aperto vehementer calcinaveris, in aqua solveris, et filtraveris; Sulphatis etiam Potassae crystallos evaporationis ope obtinebis.

Dosis à semisrupulo ad semunciam.

SULPHAS SODAE.

(*Sal Mirabilis Glauberi.*)

R̄. Cinereum Sodae, vulgò *Barrilla*, libr. unam.

Ure igne valido, usque dum omnis odor sulphureus evanuerit. Solve in Aquae libris octo. Filtra, vapore ad remanentiam librarum duarum: et post bidui, aut tridui quietem decanta. Huic liquori affunde

Acidi Sulphurici Aquosi Q. S. ad perfectam saturationem. Filtra, et procede, ut in Sulphatis Potassae elaboratione.

Nota. Si residuum in retorta ex distillatione Acidi Muriatici igne aperto vehementer calcinaveris, in aquâ solveris, et filtraveris; Sulphatis Sodae quoque crystallos evaporationis ope obtinebis.

Dosis à scrupulo ad semunciam.

SULPHAS CUPRI ALUMINOSUS CAMPHORATUS.

(*Lapis Divinus, seu Ophthalmicus.*)

℞. Sulphatis Cupri. } ana uncias sex.
Sulphatis Aluminae puri.... }

Pulvera, misce, mitte in vas fictile, et liqua igne lento. Tunc adde

Camphorae pulveratae drachmas duas.

Materiem refrigeratam effracto vase exime, et serva.

CARBONAS POTASSAE COMMUNIS.

(*Sal Tartari.*)

℞. Tartritis Aciduli Potassae Communis crassiusculè triti Q. V.

Corniculis papyraceis include: horum sin-

gula utraque manu apprehende, aquae immerge, furno accenso stractum super stratum cum carbonibus constituendo immitte, ure ad albedinem, elixa in sufficienti Aquae quantitate, filtra, et in vase ferreo ad siccitatem vapora.

Dosis à semisrupulo ad semidrachmam in Aqua Distillata.

(POTASSA PURA, seu CAUSTICA.)

(*Lapis Causticus.*)

R̄. Calcis vivae libras duas,
Carbonatis Potassae Communis libram unam.

In vase fictili paulatim affunde Aquae libras sexdecim, saepius agitando, ut fiat lixivium. Filtra. Colaturam vapora in vase vitreo, aut fictili non vitreato igne aperto ad siccitatem. Calcina in crucibulo, donec in fluorem oleaginosum abeat, et cum acidis non effervescat. Massam supra lapidem calentem effusam, et adhuc lentescentem seca in frustula, et in vase vitreo, diligenter obturato, locoque sicco repone.

CARBONAS POTASSAE ABSYNTHII.

R̄. Herbae floridae Absynthii, mediocriter siccae, quantum volueris.

Combure in aëre libero sensim in cineres albos, quos aqua pura, et ferventi elixa. Filtra, vapore ad siccitatem igne moderato, ad albedinem ure, et si opus fuerit, solutionem, filtrationem, et evaporatione repete.

Simili modo parantur Carbonates Potassae

Cardui Benedicti,

Centaurii Minoris, et similia.

Dosis à semisrupulo ad semidrachmam.

CARBONAS SODAE COMMUNIS.

(Sal Sodae.)

R̄. Cinereum Sodae libras quatuor.

Ure igne validiori usque ad candescentiam, et nulli vapores sulphurei percipiantur: tunc solve in aquae communis libris sexdecim, vel Q. S. ut fiat lixivium: filtra per chartam, vapore in vase ferreo ad siccitatem, et conserva ad usum.

CARBONAS AMMONIACI CRYSTALLISATUS.
(*Sal Volatilis Ammoniaci*, seu *Alkali Volatile*
Concretum.)

℞. Muriatis Ammoniaci libram unam,
Carbonatis Calcis Lapidei, aut Vulgaris al-
bissimi libras quatuor.

Mitte in retortam vitream, cum recipienti
amplo, juncturis obturatis balneo arenae dis-
tilla; sal in collum retortae, et recipientis
crystallisatum collige, in phiala iterum subli-
ma balneo arenae, et serva ad usum in vase
obturato.

Dosis ad semiscrupulum.

CARBONAS AMMONIACI C.C. CRYSTALLISATUS.
(*Sal Volatilis Cornu Cervi.*)

℞. Cornu Cervi in frustula dissecti Q. V.

Imple retortam vitream loricatam, aut
fictilem non vitreatam, et excipulo amplo
aptato distilla calore gradatim aucto. Ascen-
dent succesivè Liquor, Sal, et Oleum. Haec
omnia inde in matrarium, et appposito capi-

tello leni igne Salem sublima, Postea cum duplo Carbonatis Calcis pulverati albissimi pondere rursus sublima, donec candidum obtineas. Liquorem, seu Carbonatem Ammoniacalem Cornu Cervi Liquidum ab Oleo per infundibulum separatum, ad alios usos, iterata distillatione ex balneo arenae rectifica, et vase optimè clauso serva.

Dosis à granis quatuor ad scrupulum.

Simili modo parantur

Carbonas Ammoniaci Viperarum,

Lumbricorum,

et similia.

TARTRIS ACIDULUS POTASSAE PURUS.

(Cremor Tartari.)

℞. Tartritis Aciduli Potassae Communis libras
decem,

Terrae Argillae purae libram unam,

Aquae communis libras quinquaginta.

Coque in vase terreo per horas duas, et
liquorem adhuc ferventem per linteum co-

la, repone in loco frigido, ut fiant crystalli, qui aqua frigida abluti, et terrâ aluminosâ expolliati, iterum solve, et procede ut antea, quandiû crystallos candidissimas obtineas.

TARTRIS POTASSAE.

(*Tartarus Solubilis.*)

℞. Carbonatis Potassae libram unam,
Aquae purae libras octo.

Solve in olla fictili vitreata, ac solutioni ebullienti paulatim injice Tartritis Aciduli Potassae Puri pulverati Q. S. ut Sal perfectè saturatus effervescere cesset, et Syrupi Violarum Caerulei colorem non immutet. Refrigeratum liquorem filtra, et in vase vitreo vapora leni igne ad pelliculam, ut crystallos obtineas: quas, si minùs purae fuerint, denuo solve, filtra, et vapora. Quoties verò vaporationes iteraveris, toties num liquor salinus saturationem retineat, explorabis.

Dosis à scrupulo ad semunciam.

TARTRIS POTASSAE ET SODAE.

(Tartarus solubilis de Seignete.)

R̄. Carbonatis Sodae Communis libram unam,
Tartritis Aciduli Potassae Puri libras tres,
vel Q. S. ad perfectam saturationem,
Aquae Communis libras duodecim.

Procede, ut in Tartrite Potassae diximus.

Dosis ad drachmam unam.

TARTRIS POTASSAE ANTIMONIALIS.

(Tartarus Emeticus.)

Vide Praeparata ex Antimonio, pág. 362.

TARTRIS POTASSAE FERRUGINOSUS.

(Tartarus Chalybeatus Solubilis.)

R̄. Tartritis Potassae uncias quatuor,
Tincturae Vinosae Ferri Tartarisatae libram
unam.

Coque in vase vitreo igne arenae ad siccitatem.

Dosis à semisrupulo ad scrupulum.

NITRAS POTASSAE SULPHURE FUSUS.

(*Sal Prunella.*)

℞. Nitratis Potassae puri libras duas, et semis.

Mitte in ollam fictilem non vitreatam, igni impositam. Liquefacto per vices adjice
Florum Sulphuris unciam semis.

Absolutâ deflagratione, et ollâ parum refrigeratâ, materiem fluentem in pelvim effunde, continuo versandam, ut illa expandatur. Dein exime, et serva.

Dosis à semisrupulo ad scrupulos duos.

MURIAS CALCIS.

℞. Acidi Muriatici purissimi libram unam,
Aquae Communis libras octo.

Misce in vase vitreo, Acidum paulatim instillando, et adde

Carbonatis Calcis Lapidei pulverati libras duas vel Q. S. ad saturationem.

Cochleatim pulvis injiciatur usque dun effervescentia sit finita, agitando materiem continuè, ut fiat perfecta saturatio, et Acidi Car-

bonici simul exhalatio : postea coque paululum , et dum liquor Salinus sit bene saturatus quod cognoscitur quando Tincturam, vel Syrupum Violarum Caeruleum non immutet, filtretur, in vase vitreo evaporetur ad siccitatem, spathula lignea agitando , et vase vitreo obturato , et sicco ad usum servetur.

Dosis ad scrupulum.

N. B. Residuum post Ammoniaci Puri, seu Liquidi distillationem, calcinatum, aqua solutum, filtratum, et evaporatum, ut supra, Muriatem Calcis praebebit, et ad usum pariter usurpatur.

Simili modo parantur crystallizationis ope, Salia sequentia

Murias Potassae,

Sodae,

Barytae, et similia.

MURIAS OXYGENATUS ANTIMONII.

(Butyrum Antimonii.)

Vide Praeparata ex Antimonio, pag. 360.

XX

ACETAS POTASSAE.

(Terra Foliata Tartari.)

Rx. Carbonatis Potassae Albissimi uncias quatuor,
Acidi Acetici Aquosi uncias sexdecim.

Affunde Sali Acidum in vase vitreo. Sedatâ effervescentiâ vapora leni igne, et plus Acidi diversis vicibus adjice, donec, priori quantitate per evaporationem ferè absumptâ, nova Acidi quantitas addita nullam cieat effervescentiam, seu potius donec materia salina Syrupi Violarum *Caerulei* colorem non immutet: quod fiet consumptis Acidi libris circiter septem. Tunc lentè exsicca, et Salem obscurioris coloris lenissimo igne aliquantis per liqua, in aquâ solve, et per chartam filtra. Liquorem lenissimè vapora ex vase vitreo, minimè profundo, materiam salinam, dum arescit, assidue movendo, ut citiùs ad siccitatem perveniat; quam vase obturato serva, candidissimam scilicet, purissimam, totamque tum Aqua, tum Alkohole Vini solubilem, nullis faecibus relictis.

Dosis ad granis decem ad scrupulum.

N. B. Loco Acidi Acetici Aquosi, Acidum Aceticum usurpari potest, octavam partem tantum sumendo, et sal plus candidum, foliaceum, crystallisatum, et facilius obtinebis.

Dosis à granis decem ad scrupulum.

ACETAS CUPRI CRYSTALLISATUS.

(Crystalli Veneris.)

Vide Praeparata ex Cupro, pag. 366.

CAPUT XXXIX.

TERRAE.

CARBONAS MAGNESIAE.

(Lac Terrae per praecipitationem.)

℞. Sulphatis Magnesiae... } ana libras duas.
Carbonatis Potassae... }

Utrumque seorsim dissolve in Aquae libris decem, et filtra. Misce, coque paulisper spathula agitando, et liquorem adhuc calentem rursus cola per filtrum; super quod presabit pulvis albus, quem aqua calida lotum,

XX 2